

DCLXIV.

URBIS ET ORBIS

Cum Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX orationem ad infirmorum solatium recitandam, quae incipit « *Divine Jesu, Fili Dei incarnate* » cum Indulgentiae tercentum dierum eandem recitantibus concessione perpetua jam typis imprimi curaverit; ut benigne hujus largitionis gratiae documentum extaret, eandem in Actis Secretariae Sac. Congregationis Indulgentiarum ac Sac. Reliquiarum prout hoc rescripto in dictis Actis servando constat, adnotari mandavit. Praeterea Sanctitas Sua praedictam Indulgentiam lucrari qualibet vice praefatam orationem fideles recitaverint declaravit, nec non eandem animabus etiam defunctorum applicari posse clementer est elargitus. Praesentibus vulturis absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque die 10 Junii 1856.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

ORATIO AD INFIRMORUM SOLATIUM DEVOTE RECITANDA

*Divine Jesu, Fili Dei incarnate, qui pro nostra salute in stabulo nasci, vitam in paupertate, aerumnis et miseria degere, et in Crucis doloribus mori dignatus es, Divino tuo Patri dic, quaeso, in momento mortis meae: Pater ignosce ei; dic Matri tuae dilectae: Ecce filius tuus; dic animae meae: Hodie mecum eris in Paradiso. Deus meus, Deus meus, ne derelinquas me in illa hora! Sitio: utique Deus meus, anima mea sitit ad Te, qui es fons aquarum viventium. Vita mea praeterit velut umbra; adhuc modicum, et consumata erunt omnia! Quapropter, o Salvator mi adorabilis, ex hoc momento in omnem aeternitatem in manus tuas commendo spiritum meum. Domine Jesu, accipe animam meam. Amen.*

DCLXV.

Cum diversa pia opera ac preces, quibus Summorum Pontificum largitionibus Indulgentiae sunt adnexae, nec non complura Sacrae Indulgentiarum Congregationis decreta ac resolutiones ex genuinis fontibus in opusculo, cui titulus « *Le Chrétien éclairé sur la nature et l'usage des Indulgences* » gallico idiomate exaratum accurate collegisset R. P. Antoninus Maurel e Societate Jesu, Sac. Congregatio Indulgentiarum sacrisque Reliquiis praeposita ad ejusdem preces declarat hujusmodi collectionem authenticam esse, ac proinde publicari posse. Insuper, cum aliquibus precibus in eodem opusculo versio gallica a praedicto P. Maurel apposita fuerit, eaque a novissima decimatertia Romana editione operis, cui titulus « *Raccolta di orazioni, e pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le S. Indulgenze etc.* » diligenter, fideliterque deprompserit, Sacra eadem Congregatio versiones ipsas fideles declarat, et approbat.

Datum Romae ex Secretaria praefatae Sac. Congregationis die 11 Julii 1856.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

DCLXVI.

FIDENTIN.

Quamquam ex indubiis fidentinis monumentis sacras Exuvias Christi Martyris Sancti Domnini Fidentinae Ecclesiae Cathedralis Titularis, nec non Civitatis et Dioecesis Patroni Praecipui in ipsa Ecclesia reconditas esse constaret, ignotum tamen diu fuit quo proprio in loco ejusdem Ecclesiae requiescerent, etsi testimonium virorum in rebus patriis eruditorum in eam perpetuo induceret opinionem, sub Ara Hypogei praefatae Cathedralis hoc Sacrum Corpus humatum celari. Id itaque tantum supererat ad fidentinos christifideles erga suum beneficentissimum Patronum devotione inflammandos, quod nempe ex incerto loco praelaudati Sancti Martyris ossa invenirentur. Quapropter

hodiernus Fidentinus Antistes R. P. D. Petrus Chrysologus Basseti occasione arrepta novae Aediculae aperiendae in eodem Hypogeo praecipendum duxit Arcam marmoream, quae super Altare evehebatur eousque in solum demittere, ut Altare ipsum, sacro lapide superposito, constitueret. Quare Altari veteri diruto, et terra altius effossa post plura lapidea strata marmoreum sarcophagum horis nocturnis diei 19 Julii 1853 invenit, in quo jacens cadaver, super cujus pectoris ossa caput positum erat, asservabatur. Hisce praehabitis, cum circa praefatum corpus inventum praememoratus Antistes singula documenta perspexisset, tum quoad sarcophagum ejusque adjuncta ex peritorum antiquariae artis judicio, tum quoad cadaver ac caetera quae comitabantur ex medicorum sententia, de suorum quoque theologorum consilio, putavit posse indubie declarari inventa ossa, corpus esse sancti martyris Domnini Fidentinae Civitatis et Dioecesis Patroni. De quibus omnibus processum rite confectum, inceptum nempe die 19 Julii, ac die 16 Septembris praedicti anni absolutum, huic Sacrae Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Congregationi exhibuit approbandum. Sacra itaque Congregatio cum nihil in praememorato processu contra praescriptiones Sacrosanctae Tridentinae Synodi, ac ejusdem Sac. Congregationis Decreta reperisset, non modo eum ratum habuit, verum etiam in Actis ipsius Sac. Congregationis referri mandavit.

Datum Romae ex Secretaria praefatae Sac. Congregationis die 12 Julii 1856.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.  
A. Archip. Prinzivalli Substit.

DCLXVII.

MASSILIEN.

*Bernardinus Blancheles Parochus Ecclesiae S. Hieronymi in Dioecesi Massiliensi humiliter postulat a Sanctitate Vestra.*

1.º *An qui rite semel adscripti in Sodalitate Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, postea habitum Sacrum Sodalitatis dimiserunt, teneantur ad novam sacri habitus receptionem*

*a potestatem habente, si velint Indulgentias praedictae Sodalitati a Summis Pontificibus concessas lucrari, vel an sufficiat ut habitum sacrum ipsi denuo resumant simpliciter?*

2.º *Et quatenus affirmative ad primum « Quodnam temporis spatium a dimissione habitus sacri requiratur ut nova receptio a potestatem habente necessaria sit?*

Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita ad praefata dubia respondit ut infra.

Ad primum « Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam ». Ad secundum « Provisum in primo ».

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis Indulgentiarum die 27 Maii 1857.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.  
A. Archip. Prinzivalli Substit.

DCLXVIII.

Cum Sacrae huic Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae exhibitum fuerit opusculum gallice conscriptum, cui titulus *Choix de pieuses pratiques auxquelles sont attachées, des Indulgences plénières et partielles*, eadem Sac. Congregatio, ad concessionem Indulgentiarum in eo contentas quod attinet, nec non ad condiciones pro iis lucrandis ibidem propositas, authenticas esse declarat, eademque typis imprimi, ac publicari posse permittit; et mandat, ut duplex hujus editionis exemplar, in ejusdem Actis adservandum, quamprimum transmittatur. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 30 Maii 1857.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.  
A. Archip. Prinzivalli Substit.

DCLXIX.

Cum inter Decreta in Indice Librorum prohibitorum comprehensa (§. III N.º 12) Statutum sit *Indulgentiarum libros omnes, Diaria, Summaria, libellos, folia in quibus earum concessionem continentur non esse edenda absque licentia Sac. Congrega-*

*tionis Indulgentiarum*, haec Sacra Congregatio precibus Sacerdotis Vincentii Terrasson, qui librum, cui titulus « *Recueil d'Indulgences Plenieres d'une pratique facile etc.* » in quo concessionibus Indulgentiarum continentur, edere cupit, annuens, attento voto Aloisii Archipresbyteri Prinzivalli Secretariae Sacrae Congregationis Substituti, benigne illum quoad spectat ad concessionibus Indulgentiarum in eodem libro collectas typis edendi facultatem cum peractis correctionibus concedit.

Datum Romae ex Secretaria ipsius Sac. Congregationis Indulgentiarum die 24 Novembris 1857.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Archipr. Prinzivalli Subst.

DCLXX.

Cum R. P. Antoninus Maurel e Societate Jesu novam editionem operis cui titulus « *Le Chrétien éclairé sur la nature et l'usage des Indulgences* » typis mandare cupiat, in quo alia decreta et Indulgentias addidit iis quae in prima editione publicaverat, Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita ejus precibus, postquam opus fuerit diligenter examinatum, annuens, illud publicari posse libenter permittit, quoad spectat ad decretorum et Indulgentiarum collectionem quae in eo continentur; ita ut hujusmodi editioni secundae in iis quae ad praefata Decreta et Indulgentias attinent, omnino sit attendendum.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiis et Sacris Reliquiis praepositae die 12 Decembris 1857.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Archipr. Prinzivalli Subst.

DCLXXI.

ALBIEN.

Cum in Sac. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, quae apud Vaticanas Aedes die 14 Decembris 1857 habita fuit, ab Archiepiscopo Albiensi propositum fuisset dubium, scilicet « *Utrum possit sicut antea ad fidelium venerationem ex-*

*ponere Brachium de argento continens os unum Brachii S. Caeciliae?* » Eminentissimi Patres, auditis prius ejusdem Sac. Congregationis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, respondendum esse duxerunt « *Affirmative* ».

Datum Romae ex Secretaria ipsius Sac. Congregationis Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum die 14 Decembris 1857.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

DCLXXII.

TORNACEN.

Cum in Sac. Congregatione Indulgentiarum, quae die 14 Decembris 1857 apud Vaticanas Aedes habita fuit, ex parte Vicarii Generalis Dioecesis Tornacensis propositum fuisset dubium « *Utrum antiquae Sodalitates quae post Concordatum anni 1801 noviter ac canonice erectae non fuerunt, privilegia et Indulgentias ipsis concessas amiserint?* » Eminentissimi Patres, audito prius Consultoris voto, responderunt « *Affirmative* ».

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis Indulgentiarum die 14 Decembris 1857.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

DCLXXIII.

TORNACEN.

Beatissime Pater

A. P. V. Descamps Vicarius Generalis Dioecesis Tornacensis humiliter exponit, ut infra. Cum rescripta Sacrae Congregationis Indulgentiarum quibus facultas erigendi Viam Crucis Sacerdotibus saecularibus conceditur, eadem facultatem delimitent ad Ecclesias seu publica vel privata Oratoria de Dioecesi locorum in quibus Ordo Minor. Observ. S. Francisci Assisiensis non existit, diversae circa horum verborum sensum moventur quaestiones; ideo Sanctitati Vestrae supplicatur quatenus sequentia dubia solvere dignetur.

1.<sup>o</sup> Quid per loca in quibus Ordo Min. Observ. S. Francisci Assisiensis non existit intelligendum sit in casu, an Civitas, Oppidum, Pagus, cum respectivis Suburbis, sive locis eis adjacentibus? Et quatenus negative.

2.<sup>o</sup> An intelligendum sit Parecia vel universa Dioecesis, aut alia quaelibet Dioecesis sectio, seu pars?

3.<sup>o</sup> An per formulam Rescripti censeatur prohibitum, quominus Via Crucis erigatur extra Ecclesias, vel Oratoria sive publica sive privati, ex. gr. in Coemeteriis, vel in Claustis?

4.<sup>o</sup> An sub poena nullitatis apponatur facultatis delimitatio ad loca ubi Ordo Min. Observ. S. Francisci non existit, et ad Ecclesias et Oratoria tantum ejusmodi locorum?

Cum in Sacra Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum Congregatione habita die 14 Decembris 1857 in Palatio Apostolico Vaticano proposita fuissent quatuor supraenunciata dubia a Vicario Generali Dioecesis Tornacensis, Eminentissimi Patres, rebus mature discussis, respondendum esse decreverunt, ut infra « Ad primum » Affirmative » « Ad secundum » Provisum in primo » « Ad tertium et quartum » Affirmative. » Datum Romae ex Secr. ejusdem Sac. Congregationis Indulgentiarum.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

DCLXXIV.

PETROCOREN.

Beatissime Pater

In Decretis de libris prohibitis quae post Regulas Indicis addita sunt, haec luguntur « § III. N.<sup>o</sup> 12 » Indulgentiarum libri omnes, Diaria, Summaria, Libelli, Folia etc. in quibus earum concessionibus continentur, non edantur absque licentia Sac. Congregationis Indulgentiarum.

Cum vero circa hujus regulae interpretationem plura dubia exorta sint, ad pedes Sanctitates Vestrae provolutus Episcopus Petrocorensis et Salatensis in Galliis ab Ipsa efflagitat humillime:

1.<sup>o</sup> Utrum praefata Regula ita intelligenda sit ut nulla Summaria Catalogi, folia Indulgentiarum ipsa auctoritate Ordinarii imprimi possint, absque speciali licentia Sac. Congregationis Indulgentiarum, etiam quando ipsi certo constat authenticas etc. illas Indulgentias, verbi gratia, quia penes se habet Catalogos aut Summaria Romae impressa?

2.<sup>o</sup> An vero haec impressio et evulgatio solum prohibeatur Ordinario quando non ipsi certo constat jam a Sac. Congregatione Indulgentiarum evulgatas fuisse has Indulgentias?

Exhibitis ab Episcopo Petrocorensi duobus supraenunciatis dubiis in Sacra Congregatione Indulgentiarum Sacrisque Reliquiis praeposita, quae apud Vaticanas Aedes die 14 Decembris 1857 habita est, Eminentissimi Patres, audito prius Sac. Congregationis Consultore, ac rebus mature perpensis, fuerunt in voto quoad utrumque dubium ut infra. « Articulum 12 § III. Decretorum post Regulas Indicis editorum ita esse intelligendum, et in praxim deducendum, ut si agatur de edenda concessione alicujus Indulgentiae, vel Summarii Indulgentiarum, quod ex Brevis Apostolico, vel Rescripto desumendum est, aut de Summario ex auctoritate Sacrae Congregationis jam vulgato, in potestate Ordinarii sit licentiam concedere earundem Indulgentiarum concessionibus typis imprimendi (dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibitio); e contra vero si sermo sit de Summario vel antea collecto, sed numquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo requiritur expressa Sacrae Congregationis Indulgentiarum licentia » Addita tamen conditione « Facto verbo cum Sanctissimo ». Factaque per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX fideli relatione in Audientia diei 22 Januarii 1858, Sanctissimum votum Eminentissimorum Patrum approbavit ».

Datum Romae ex Secretaria praefatae Sac. Congregationis Indulgentiarum.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

DCLXXV.

Porrectis precibus a P. Procuratore Ordinis Praedicatorum huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Eminentissimis Patribus in generalibus Comitiis apud Vaticanas Aedes die 14 Decembr. 1857 habitis, propositum fuit dubium dirimendum « *An scilicet, consulendum sit Sanctissimo ut concedere dignetur, ut omnes utriusque sexus Christifideles Rosarium, vel tertiam saltem ejusdem partem in communi recitantes lucrentur Indulgentias a felic. rec. Benedicto Papa XIII concessas, licet manu non teneant Rosarium benedictum, ac sufficere ut una tantum persona, quaecumque sit ex communitate illud manu teneat, eoque in recitatione de more utatur?* » Qui, audito prius Consultores voto, ac rebus mature discussis, responderunt « *Affirmative.* » Facta itaque per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX relatione fideli in Audientia diei 22 Januarii 1858 Sanctitas Sua precibus ejusdem Patris Procuratoris Generalis inclinata, nec non votum Sacrae Congregationis obsecundans, benigne annuit, addita tamen expressa conditione, quod fideles omnes, caeteris curis semotis, se componant pro oratione facienda una cum persona, quae tenet Coronam, ut Rosarii Indulgentias lucrari queant. Datum Romae ex Secr. Sac. Congregationis Indulgentiarum die 22 Januarii 1858.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

DCLXXVI.

GALLIARUM

Cum in sacra Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum Congregatione proposita fuissent dubia « *1.º An fideles lucrentur Indulgentias Viae Crucis dummodo quatuordecim Stationes visitent in uno eodemque die, etiam non uno tractu, sed interposito majori minorive inter Stationes intervallo?* » Item *An pro lubitu vel comodo dividi possit Rosarium B. Mariae Virginis,*

*ita ut acquirantur tum Indulgentiae adnexae recitationi quotidianae unius Coronae, dummodo intra diei spatium licet non uno tractu, sed diversis temporibus recitentur quinque denaria cum Indulgentiis specialis Sodalitatis Sanctissimi Rosarii dummodo intra hebdomadam quindecim denaria recitentur licet in plures quam tres partes dividantur?* » Et quatenus negative. 2.º *An supplicandum sit Sanctissimo pro concessione?* » Eminentissimi Patres in Comitiis generalibus diei 14 Decembr. 1857 in Palatio Apostolico Vaticano habitis, audito Consultoris voto, responderunt « *Ad primum. Ad utrumque negative, exceptis Confratribus quod attinet ad Indulgentias ipsis concessas pro recitatione integri Rosarii intra hebdomadam.* » Ad secundum « *Ipsi Eminentissimi Patres non obstantibus rationibus P. Consultoris, et conditionibus ab eo propositis sub quibus gratiae impetratio a Sanctissimo postulari posset, nempe tollerari saltem posse, ut fideles in privato tantum pio exercitio Viae Crucis, nec non in privata recitatione tertiae partis Sanctissimi Rosarii sine amissione Indulgentiarum eisdem piis operibus concessarum dividere possint in casu tantum legitimae causae Stationes Viae Crucis, et denaria, seu vulgo Poste Sanctissimi Rosarii, dummodo adimpleant omnia intra diei unius spatium, nec non caeteras conditiones injunctas, responderunt « Non expedire. » Itaque facta per me subscriptum Sac. Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX de his omnibus fideli relatione in Audientia diei 22 Januarii 1858 Sanctitas Sua Resolutiones Sacrae Congregationis confirmavit. Datum Romae ex Secr. ejusdem Sac. Congregationis Indulgentiarum.*

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

DCLXXVII.

URBIS ET ORBIS

Quum saepe ex pluribus Orbis partibus ad hanc Sac. Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum Congregationem deferantur dubia circa conditiones adimplendas pro acquisitione Plenariae